

## Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in  
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,  
sive Monita, Omnibus ac ...**

**Quenstedt, Johann Andreas**

**Wittebergæ, 1708**

**VD18 13565508**

XXVIII. Nulli notabili crimini vel vitio obnoxius sit, aut deditus.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

pos mitti solebat, appellabant Græci τὰ συνωδικὰ, item *Literas συνωδικὰς*. Latinis dicebatur *Synodica Epistola*. Eæ literæ, si orthodoxam confessionem continerent, recipiebantur ab orthodoxis Episcopis, ad quos missæ erant & in fraternæ communionis testimonium rescribebant hi ἀντισυνωδικὰ id est *reciproca Synodica*, seu literas ἀμοβαταῖς, *amabas* id est *responsorias*, per quas veluti dextras dabant Societatis. Vide *Joh. Forbesium à Cor- se Instruct. Historico-Theolog. Lib. III. cap. XVI. pag. 114. & lib. V. cap. IX. pag. 238. seq.*

## XXVIII.

Nulli notabili crimini vel vitio obnoxius sit, aut deditus.

ἐξίγησις.

**V**As Electionis, Apostolus Paulus in Epistolis Timotheum & Titum, (quas unâ cum Epistola ad Romanos ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia Doctōris persona imposita, monente magno Hipponensi Præsule lib. IV. de Doctr. Christ. c. XVI.) vult Episcopum esse ἀνεπίληπτον καὶ ἀνέγκλητον, inqviens; δει (cū ratione professionis Christianæ communis, tum inprimis ratione officii Ecclesiastici) τὸν ὁπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι 1. Tim. III. 2. δὲ τὸν ὁπίσκοπον

ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι Tit. I. 7. ἐπίκλητος proprie dicitur, qvi epilepsiâ, seu morbo comitiali ita corripitur, ut nullum membrum movere possit, deinde, qvi crimini & accusationi iustæ obnoxius est, ἀνεπίκλητος ergo est, qvem nemo ob gravi9 aliquod crimen iustè potest reprehendere, vel qvi iustæ reprehensioni non est obnoxius. J. H. Ursinus de Offic. Christian. pag. 101. ad h. l. inquit; ἐπίκλητος est, qvi epilepsiâ, morbo Comitiali, qvi despui solebat, corripitur. Nam superstitiosi, si qvem vidissent ἐπίκλητον, in sinum solebant despungere, Theophrastus in Characterib. Elegans Metaphora; Neque enim gravius est corpore, qvàm corde collabi; pede potius, qvàm mente corrumpere; in cubiculo despui, qvàm in isto splendidissimo cœtu detestari, ait Apulejus in Apolog. Ergo ἀνεπίκλητος est, qvi non isto modo collabitur & publicè conspuitur. ἀνέγκλητος (qvæ vox ex foro desumpta est,) proprie eum designat, qvi nihil admisit, propter qvòd in jus vocari possit, sive qvi culpâ reprehensibili vacat, cui nullum crimen iustè objici potest. Prima Cleri dos & conditio est, inquit Claudius Espenceus Com. in Epist. ad Titum pag. 474. ut sit ἀνέγκλητος, qvâ voce de Diaconis utitur I. Tim. III. 10. ministrant, ait, ἀνέγκλητοι, de omnibus item Christianis I. Cor. I. 8. confirmavit.

mavit vos Dominus ἀνεγλήτως & Coloss. I. 22.  
 ut exhiberet vos ἀνεγλήτως coram ipso, quorum  
 ultimo loco Latinus Interpres irreprehensibiles  
 vertit, quos hoc & superioribus sine crimine  
 verterat, alii inculpato; Verum Græca vox  
 non ita sonat, quasi dicas; omni vel crimine  
 vel culpâ vocantes, sed quod plus, quem ne-  
 mo possit accusare vel criminari, seu in jus a-  
 liquod ob crimen vocare, quod plus est, quam cul-  
 pâ vacare, vel crimine, quia integritas non ra-  
 rō calumniæ sit obnoxia, ob speciem probabilem  
 culpæ. Non dicit Gentium Doctor; Opor-  
 tet Episcopum esse ἀναμάρτητον, i. e. talem.,  
 qui peccato prorsus careat, alioqui, hâc con-  
 ditione positâ, non homines, sed angeli Ec-  
 clesiæ præficiendi essent. Si enim dixerimus,  
 nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus &  
 veritas non est in nobis. 1. Joh. I. 8. Legitur  
 homo sine crimine, Job. I. 1. 3. sine querelâ,  
 Luc. I. 6. non legitur sine peccato, nisi unus  
 hominis, idemque Dei filius, Christus Je-  
 sus, Sed ἀνέπιλητον, in quo τὰ ἐπιλήψιμα, v. g. πο-  
 λυγυμία simultanea, ἀσωτία, παρσηνία, αἰσχροκερ-  
 δία, φιλαργυρία &c. non habeat locum, & ἀνέγλητον,  
 sive inculpatum, non Dei, coram quo ne cæ-  
 li quidem mundi sunt, Job. XV. 15. sed homi-  
 num respectu, i. e. non a quoquam publici aut  
 notorii criminis accusatum, nullâq; infamiâ  
 nota-

nota-

notatum, quæ illi auctoritatem derogat. Recte  
*Augustinus* lib. I. contra duas Epist. Pelagii cap.  
 XIV. Tom. 7. Oper. Nullus in Ecclesia recte  
 posset ordinari minister, inquit, si dixisset *Aposto-*  
*lus*, si quis sine peccato, ubi ait, si quis sine cri-  
 mine est. Aut si dixisset; nullum peccatum ha-  
 bentes, ubi ait, nullum crimen habentes. Mul-  
 ti quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine  
 peccato autem in hac vitâ neminem dixerim. Et  
 tractat. XLI. in Joh. Tom. IX. ait: Non dicit  
*Apostolus*, si quis sine peccato est, hoc enim si di-  
 ceret, omnis homo reprobaretur & nullus ordina-  
 retur, sed ait, sine crimine est, sicuti est homicidi-  
 um, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis,  
 furtum, fraus, sacrilegium & cetera hujus-  
 modi. Crimen enim est grave peccatum accusatio-  
 ne & damnatione dignissimum. Hæc ille. *Chry-*  
*sostomo* Homil. 2. in Epist. ad Titum, ἀντινομία  
 τῶ ἐστ, ἐλεῦδες κατηγορίας, liber à justâ crimi-  
 natione, cujus mores nemo fugillare aut car-  
 pere potest, & *Theodoro* Com. in h. 1.  
 μὴ παρῆεν κατηγορίας ἀπογυλῶ, qui non dat vel præ-  
 bet occasionem aut materiam justæ crimina-  
 tionis vel reprehensionis, h. e. non qui nunquam  
 fit culpatus à malevolis, præsertim & inimicis,  
 sed qui jure culpari nequeat. Alioquin ne  
 Christum quidem hominum sanctissimum  
 Dei

Dei Filiam, inculpatum vocaveris, licet in-  
culpabilem omnium rectissime. Quippe qui  
ob omni etiam levissimarum culparum na-  
vo fuit purissim9. Oportet itaq; eum, qui Dei  
vicibus in Ecclesia quodammodo fungitur,  
cuique thesaurus Evangelicæ doctrinæ velu-  
ti selecto dispensatori concreditus est, undi-  
quaque inculpabilem esse, longè semotum à  
vitiis & flagitiis, imò & ab omni flagitii auc-  
criminis suspicione, ut liberâ fronte possit ali-  
orum sic arguere crimina, ut nemo valeat  
obicere sua. *Anselmus Com. in h. l. pag. 354.*  
talem hic requiri Episcopum ait, ut nulli sit vi-  
tio, quod notari possit mancipatus, ut cum repre-  
benderit alios, ipse à nemine reprehendi possit.  
Perdit enim, (addit) auctoritatem arguendi, cui  
possunt ab eo, quem arguit, propria delicta impro-  
perari. Indecens omnino est, reprehensibilem  
esse reprehensorem, ex trabis & festucae simi-  
li Matth. VII. 3. seq. *Erasmus* scribit in pa-  
raphr. ad 1. Tim. III. v. 1. 2. Oportet Episcopum  
eâ esse vitæ integritate, ut nihil omnino crimi-  
nis illi possit impingi. Non enim convenit, ut  
qui se ceteris proficitur magistrum & exacto-  
rem innocentie, ipse vitæ, moribusque non  
præstet, quod docet, & qui pro suscepto  
officio debet liberâ fronte peccantes argue-  
re, committat, in quo sit arguendus. Quis  
enim

N

enim

enim crederet Doctore, cujus oratio pugnet cum  
 vita. Quis feret increpantem, in quo videt  
 aut eadem aut etiam graviora flagitia? Certè  
 magni refert, ut unus, à cuius magisterio pen-  
 det populus, vacet omni crimine. Et post pau-  
 ca; Decet Episcopum in tantum abesse ab omni  
 crimine, ut vacet etiam omni criminis suspicio-  
 ne. Unde benè monet Ambrosius libro de di-  
 gnit. Sacerdotali cap. 3. Tom. 4. Quod sumus  
 professione, actione potius, quàm nomine de-  
 monstramus, ut nomen congruat actioni, actio  
 respondeat nomini. Ne sit nomen inane & cri-  
 men inmane, ne sit honor sublimis & vita defor-  
 mis, ne sit Deifica professio & illicita actio &c.  
 Inculcet temperantiam lurco & heluo, com-  
 mender liberalitatem avarus: castitatem im-  
 purus scortator; justitiam fur & raptor; sin-  
 ceritatem & candorem vaferrimus impo-  
 stor; pietatem, religionem, sanctimoniam  
 profanus, irreligiosus, impius, *ἠμῶν αἱ τῆς*; Non-  
 ne talis audiet? *ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδᾶσκειν τοῖς ἡγε-  
 τοῖς*. Aut ne doceas, aut moribus doce. Ne verbis  
 quidem allicias, factis autem propellas. Re præ-  
 stes, quod oportet, & oratione non erit opus, &c.  
 Nazianzenus in versibus & ex illo Damascē-  
 nus Orat. 3. de Imag. pag. 805. Fidem di-  
 ctorum minuit, qui factis non adstruit.  
 Si vel Ciceronis haberet vim eloqvii,  
 non

non tamen quicquam suis præstaret concionibus. Sed quantum orationis ornatu fidei & pietatis animis auditorum ingereret, tantum vitæ deformitate eradicaret. Ast; *Voce docens, vitæque docens, ne bis docet ille.* Optimè Prosper, lib. I. de vita Contempl. cap. 15. Non potest ejusmodi Concionator dicere contemptoribus admonitionis sue, futurum cogitare judicium, quod ipse forte non cogitat, amatoribus seculi, nolite diligere mundum, si enim mundi amor oblectat, ambitiosus, ambitioni finem imponite, si enim ambitio ruinosam præcipitat, ebriosus, ebrietatem cavete, si se mero, usque ad alienationem mentis ingurgitat; sumptuosus dapibus gravidus non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat; vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecunia: inimicitarum tenax non valebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere; justitiam predicare iudicibus erubescit, quam ipse persona potentis favore corrumpit. Nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit. Et quicquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate sue actionis aut amittit aut minuit. Hactenus Prosper. Non modò accusator, sed ne objurgator quidem

dem ferendus est, qui quod in alio vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur. Nulla validior pestis stulti & improbi pastoris pessimo exemplo. Quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis, quod aliquam culpam habeat circa radicem, ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanctum, inquit Chrysostomus de Symbol. Quid enim secularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis & actionibus vitiosis ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi provocaverit, ac nulli jamjamque illicitum esse videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur. Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile, ait Ambrosius loc. cit. cap. 6. pag. 452. Hieronymus Epist. 2. ad Nepotian. de vita Clericor. Tom. I. Oper. benè monet; Cavete omnes suspensiones & quicquid probaliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Et post pauca; Non confundant opera tua sermonem tuum, ne quum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat, accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent

dent. Succinit *Augustinus* lib. IV. de doctr. Christian. cap. 27. *Abundant*, inquit, *qui* mala vite sue defensionem ex ipsis suis *Præpositis* & doctoribus quarunt, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, ore suo, atq; dicentes; *Quod mihi præcipis*, cur ipse non facis. Idem ait lib. de XII. abusuum gradibus, Gradu I. Tom. 9. *Primus* abusio nis gradu est, si sine bonis operibus sapiens & prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus complere negligit. Auditores enim doctrinae dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera à prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim sit efficax prædicantis auctoritas nisi eam effectû operis cordi affixerit audientis. Qui dicit sapienter & eloquenter, vivit autem nequiter, suspectam reddit doctrinam, in contemptum adducit auctoritatem, laboris successum corrumpit ipse, quod ore erigit, exemplo destruit, cœlum ædificat verbo, opere infernum. Dogma tuum sordet, sit et tua vita remordet. Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Bene *Anselmus* in cap. 23. *Matth.* Omnis Doctor inquit, qui auditores suos verbo ædificat, exemplo scandalizat, regnum Dei claudit, & nec ipse intrat, nec alios intrare permittit. Similes sunt ejusmodi fidei Præceptores, quorum vita

doctrinæ non respondet, statuae mercuriali, quæ viam aliis monstrat, ipsa non ingreditur; aut fabris & architectis, qui Arcæ Noë extruendæ sunt adhibiti, de quibus tamen *ἡρώδης* nullum Arcam ingressum legimus. *Isidorus* scribit lib. III. de summo bono cap. 3. *Arcus perversus est lingua Ministrorum docentium bene & viventium male.* Plac mali declamatoris oratio nil nisi aërem & aurem auditorem verberat, persuadere pectus vix potest. *Nazianzenus* Apol. 1. comparat malos Prædicatores malis pictoribus, qui linguâ pingunt, vitâ expungunt. Qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt, exempla seipsos inutilis disciplinæ circumferunt. Non vitatur quidem veritas doctrinæ improbitate Doctoris, atq; ad populum spectat potius ex suo pastore, quod docet accipere, quam quomodo vivat, inspicere. Nam & *de homine malo bona doctrina procedit*, dicente *Chrysostomo* Homil. 45. in Matt. Et Verbum Dei quocunq; ex ore procedat, ingentiâ vi suâ pollet, idq; ad quod mittitur, efficit. Interdum tamen Doctoris vitio etiam ipsa vera doctrina vilescit, quia dum non vivit, sicut docet, ipsâ quam prædicat veritatem, contemptibilem facit, ut ait *Isidorus* lib. III. de summo bono cap. 37. Bene *B. D. Gerhardus* loco de Minister. Eccles.

Ecclesiast. §. 275. *Quamvis inquit Verbi & Sacramentorum efficacia nequaquam debendeat à Ministri dignitate vel indignitate, res ipsa tamen manifestum facit, cursui doctrinae celestis & fructificationi Verbi non mediocrem remoram atque impedimentum objici per Ministrorum improbitatem.* Etiam itaque atque etiam moneo, ut futuri Concionatores auream Chrysostomi sententiam Homil. 43. in Matth. diligenter notent, nec eam frustra dici patiantur. *Bene vivendo & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere, bene autem docendo & male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Succinit Prosper in sententiis Augustini; *Bene docere & male vivere, quid aliud est, quam se suam voce damnare.* Sanè Pastorum peccata aliorum hominum delictis triplici nomine graviora sunt. I. *ratione objecti*, quod non in homines solum, sed plerumque in res divinas committantur, vel negligendo cultum vel aliorum ignominiam cum exponendo, Jerem. VII. 30. c. XI. 15. c. XXIII. 14. I. Samuel. II. 25. 2. *ratione subjecti*, quia hi, cum voluntatem Dei melius reliquisceant, gravius quoque ignorantibus peccant, Mich. III. 12. Mal. II. 7. 8. Luc. XII. 47. 48. 3. *ratione etiam scandalii.* Quemadmodum enim cadavera in profundam terram sepulta

tantum foetorem non edunt, quantum ea, quæ in superficie posita sunt; Ita homines obscuri & ignobiles malâ vitâ, tam foetido scandalo non sunt, quanto illi, qui sunt in eminentia constituti. *B. Hülsemannus Com. in Jerem. pag. 573.* Quæritur hoc loco; *An ille, qui in adolescentia flagitium aliquod notorium admisit, & postea resipuit, ad Ministerium verbi admitti possit?* Item, *an Minister, qui in ipso Ministerio in gravius aliquod crimen prolapsus est, & ab officio remotus, postquam per aliquot annos seriam penitentiam egit, ad officium Ecclesiasticum revocari queat?* Non loquimur autem hic de Criminibus atrocioribus, veluti blasphemiam, sacrilegio, homicidio, adulterio, latrocinio, veneficio &c. de his enim sive Ecclesiæ minister, sive ministerii candidatus convictus aut confessus, oppidò supplicio capitali subicitur; vel si propter aliquas circumstantias à poena ordinaria absolvitur, talia tamen hæc crimina sunt, ut promovendum non tantum arceant, sed promotū quoque deiciant. Sed sermo est de aliis criminibus notoriis, veluti scortatione, heluatione, vitâ dissolutâ, perjurio &c. Extant de hoc plurima, eaque contraria in jure Canonico decreta distinct. L. Pleriq; Doctorum existimant, flagitia seu facinora jã enumerata & similia;

milia, tamen si per se gravia sint, non posse ta-  
 men viro tali, qui seriam egit poenitentiam,  
 & post admissum facinus sese juxta legem  
 Dei gessit, fraudi esse, ut aut eligi ab Ecclesia  
 in pastorem non possit, aut electus Ministe-  
 rium ipsum cum fructu Ecclesiae & cum glo-  
 ria Dei obire non valeat, aut etiam à quoopi-  
 am ut ἐπίσκοπος καὶ ἑγκλητός rejici debeat, cum  
 Apostolus non dicat, eos tantum eligendos  
 esse Episcopos, qui semper fuerint ἀνγκλητοὶ καὶ  
 ἀνεπίληπτοι, sed qui sint, utpote unius uxoris viri  
 (sicut explicat per partes,) vigilantes, sobrii  
 &c. David post adulterium & homicidium,  
 perpetratum dicit Ps. LI. 15. Docebo iniquos vi-  
 as tuas, quod exemplum adducit Hieronymus  
 ad cap. 3. Mich. Petrus Christum abnegavit, &  
 tamen officio Apostolico post poenitentiam  
 admotus est, quod exemplum urget Gregori-  
 us lib. VII. Epist. 53. Qualis fuerit Augustinus  
 in suâ Adolescentiâ, qui etiam ex fornicatio-  
 ne suscepit filium, quem à Deo datum vocari  
 jussit, ipse fatetur lib. I. Confess. cap. 19. & lib.  
 II. cap. 4. nemo tamen cum Episcopatu indi-  
 gnum fuisse dixit. Idem Augustinus Epist. 150.  
 ad Bonifacium distingvit inter rigorem juris  
 & ἐπιεικειαν. Ut constitueretur, inquit, in Ec-  
 clesia, ne quisquam post alicujus criminis poeni-  
 tentiam Clericatum accipiat, vel ad Clerica-  
 tum.

tum redeat, vel in Clericatu permanet, non desperatione indulgentia, sed rigore factum est discipline, alioquin contra claves Ecclesiæ disputabitur; de quibus dictum est: Quæcunque solveritis super terram, soluta erunt & in cælo. Sed ne forte etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè agere pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam pœnitentiam de damnabili crimine nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicinam major & verior esset humilitatis. Hæc Augustinus. Isidorus ad Massanum distingvit inter pœnitentes & impœnitentes: Illos, inquit, ad pristinos gradus redire Cænes precipiunt, quos pœnitentie præcescit satisfactio vel condigna peccatorum confessio, hi verò, ait nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Rabanus ad Heribaldum distingvit inter crimina publica & occulta. Qui deprehensi, (inquit) fuerint publicè in perjurio, furto ac fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta à proprio gradu decedant, quia scandalum est populo Dei tales personas supra se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Qui autem de prædictis peccatis absconss à se admissis peccata per occultam confessionem coram Angelis

golis Dei presente etiam Sacerdote, qui eis in-  
 ducturus est poenitentiam confidentur & semet  
 ipsos graviter deliquisse quoruntur, h' s etiam  
 gradu servato spes venia de misericordia Dei  
 promittenda est. Addit B. Gerhardus Loc. de  
 Minister. Eccles. §. 277. in fine; Circumstan-  
 tiarum diligens & accurata consideratio manife-  
 stum faciet, quid in Ejusmodi casibus faciendum  
 sit. Cum primis distinguendus est necessitatis  
 casus ab ordinaria regula. Si alii idonei Eccle-  
 siae Ministri haberi possunt, nequaquam vel eli-  
 gendi vel revocandi sunt, qui in gravius aliquod  
 delictum fuerunt prolapsi, etiam post pera-  
 tam poenitentiam; sin minus, prestat tales  
 admittere, quam Ecclesiam necessariis Mini-  
 stris destitui. B. D. Dannhaverus Tom. I.  
 Theol. Conscient. part. II. speial. Dialog. III.  
 de Hier. Eccles. quaest. IV. pag. 988. quaerit;  
 An vocabilis vel revocabilis pridem noto-  
 rio flagitio maculatus (adeoque non *λεωτε-  
 ρος* ac *ἀντικλητος*) censurâ Ecclesiasticâ no-  
 tatus, sed poenitens? Et respond. Ordinarie  
 nequaquam. Obstat, inquit, disciplinae rigor ob  
 scandali metum, non facile temperandus ne  
 sint, qui huiusmodi exemplo freti, paria pec-  
 cata peccare audeant. -- Obstat rigor priscae  
 Ecclesiae, quem tenuit in relapsis, non facile  
 in sinum suum reassumtis. Obstat Concilii  
 Tole-

Tole-

*Toletani I. Canon. 2.* Placuit, ut poenitentes non admittantur ad Clerum; nisi tantum si necessitas aut usus exegerit: & tunc inter Offitiosarios deputentur, vel inter Lectores. &c. *Excipe* (pergit Dannhaverus) *hic necessitatem* & *Numen, Noth und Gott!* Extra ordinem licebit à regula parum deviare in magnâ hinc necessitate, illinc specert à majoris fructus ex eo captandi, in quo dona illustriora cum rigidiore mortificatione sunt conjuncta. Quo consilio olim post Onesimum, Origenes, Hieronymus & Augustinus pridem vitiis inquinati à ministerii honoribus non fuere exclusi. --- Hero Ecclesiæ Christo manus liberè dispensatrix in certis personis, Jona transfuga, Paulolatrone, Petro execratore, Apostata ad Ecclesiæ munia vocandis, alligata est, nec ad imitationem rapienda. Hinc manifestum est, non facile, citra necessitatis casum, (addo) nec ibi, ubi scandalum commissum fuit, ejusmodi hominibus Verbi & Sacramentorum dispensationem committendam esse. Quæsitum ante aliquot annos à Facultate Theologicâ Jenensî apud Dedekennum in Nova Append. pag. 455. An studiosus Theologiæ, qui ante annos duodecim homicidium commisit, ab eo verò tempore benè se gessit, ad sacrum Ministeriû admittendus sit? Respond. Facul-

tas